



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Difficultatis 3. Rationes pro impossibilitate creaturæ essentialiter
individuae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

mana abstracta ab individuis animarum; neque tamen inde sequitur, quod non possint dari individui homines vel individua animarum, vel individua formarum. Rursus ex eodem medio termino assumitur probatio pro eadem sententia, quod scilicet detur albedo numero distincta & quidem distinctione non petibili à solis subjectis; Ergo & in præsentem dicendum. Denique quod abstracta albedo, sit nonnisi indivisa & una, oritur ex eo, quia separantur ab illa omnia principia individuantia, cæteroqui illi competentia, à parte rei: Nihil autem est quod separet à speciebus, ne dividuantur si dividuari possunt; possunt autem, quia illas dividuari non implicat.

Hoc autem Thomisticum principium, quod multiplicitas individualis formarum, habeatur solum per ordinem ad materiam, alibi negatum.

Punctum Difficul-

tatis 3.

Rationes pro impossibilitate creaturæ essentialiter individua.

RATIO 1. Quia & esset illa creatura seipsa essentialiter individua, & non esset: Esset quidem ut supponitur; non esset autem ut probatur; quia posita quacunque creaturâ, non est negandum divinæ omnipotentiae, quod possit illi aliam similem creare, nisi manifesta urgeat implicantia; hæc autem in præsentem ostendi non potest.

Hoc ipsum sic aliter proponitur: Ex una parte videmus entia ut plurimum habere alia sibi similia in perfectione, & ea quæ non habent sibi simile individualiter, ut sol, concipiuntur à nobis tanquam potentia multiplicari; nec est ratio, cur non sit indispensabilis nexus inter prædicatum, quod est creatura & inter multiplicari individualiter; Ergo non est possibilis creatura, immultiplicabilis essentialiter.

Hoc ARGUMENTUM non potest aliter solvi nisi dicendo, quod Oppositi potius debeant ostendere implicantiam. Sed quærere restat; An habeatur implicantia, quæ ostendat implicare ut indispensabiliter necatur inter se creatura, & multiplicatio individualis, vel non habetur; si habetur, ostendatur sine disputatione, quisnam illam ostendere debeat; si non habetur, assequitur opposita sententia intentum. Deinde ad restringendam libertatem arguendi per hoc principium: Non implicat, commoda est via impositionis ostendendæ implicantia in oppositos, si contra communem sensum Doctorum præcipue procedatur: Communis autem Theologorum sensus, stat

pro multiplicatione individuali: Nam quamvis oppositum sentiant Thomistæ, sed illis opponunt se reliquæ Scholæ, probantque hoc per principium, quod etiam oppositi relinquunt: Nempe quod immateriale multiplicari non possit. Denique si aliquis diceret possibilem esse creaturam perfectissimam, nec implicare, bene contra illum argui posset sic, & esset illa creatura perfectissima, & non esset; esset quidem ut supponitur; non esset autem, quia posset sibi habere æqualem: ubi onus ostendendæ implicantia rejicitur in alium; cur idem in præsentem fieri non poterit?

Quia tamen hoc argumentum stat in solo: Non implicat, sit, ut positive nihil evincat; & tamen hic quæratur argumentum positivum.

RATIO 2. est. Quia si posset produci natura essentialiter individua, posset etiam produci talis, quæ de se exigat essentialiter, ne possit produci alia ejusdem generis. Item posset eodem jure dici, quod possit Deus producere lapidem, ex sua essentia exigentem, ne alius possit produci lapis; quæ omnia sunt absurda. Nec potest legitime recurri ad hoc, quod id exigeret essentia prædicatorum; quia illa ipsa exigentia, nullum habet fundamentum contra omnipotentiam divinam, nisi merum placitum.

RESPONDETUR. Inprimis negando Consequens. quia impossibilitatem unius rationis, non probat impossibilitas alius rationis, & sic ex impossibilitate Leo-cornicis malè argueretur ad impossibilitatem animalis hinnitivi; nisi commune principium impossibilitatis utrique statuatur, quod hic non adfertur. Deinde negatur Consequens. quia arguens habet implicantiam, ut putat pro Antecedenti, quæ non apparet, quomodo possit applicari ad Consequens.

Quod attinet ad objectum Antecedentis: An sit possibilis creatura, cui non possit produci alia ejusdem generis, videtur esse implicantia, quia saltem in genere entis, vel in genere proximiori, quod sit substantia, vel accidens convenire cum aliis deberet; nihil enim est quod non sit ens, aut quod non sit aut substantia, aut accidens. Si autem agatur de genere immediatiore, illud posset non habere commune, ut consequenter teneret, qui diceret posse dari creaturam, essentialiter individua, differentiam. Exigentia autem illa lapidis, ne alius sibi comproducat, est fictitia.

RATIO 3. est. Quam sibi opponit citatus Lugo: Nullius naturæ specificæ creabilis singularitas, est prædicatum essentialiter: Ergo nulla involvit essentialiter singularitatem. Ant. prob. quia prædicatum essentialiter vel est genus, vel differentia; dicta autem singularitas, non est genus, quia non est communis multis: Non etiam est differentia essentialis; quia differentia essentialis, debet esse de pluribus differenti-

bus numero prædicabilis, alioqui non esset illa differentia aliud, quam numerica.

RESPONDETUR inprimis. Negando Ant. Negando item quod individuatio non possit habere rationem differentiae ultimae: Quod enim dicit de differentia ultima, illam debere esse prædicabilem de multis, id verum est de differentia quæ sit universalis. Hoc etiam in ter alia præ oculis haberi debet, quod quando dicitur, possibilem esse speciem, unico individuo non nisi contentam, accipitur species non pro specie formali, qualis de facto datur, sed pro specie æquivalenti, h. e. pro prædicato quod faciat non minus differre, quam differat rationalitas & rugibilitas. Unde ulterius talis individuatio, diverso respectu erit species; quia notabiliter differt creatura essentialiter individua, à non individua essentialiter; diverso autem respectu faciet differre individualiter: erit enim individuatio, existeretque à parte rei; taliter autem existentia, omnia sunt individua. Denique transito Ant. distingui potest Conf. Ergo nulla natura creata involvit essentialiter singularitatem, tanquam sui essentialiter in sensu formali distinctivam. Conc. Conseq. Nam individuationes cum sint de linea accidentis Metaphysici, non faciunt essentialiter in sensu formali differre; Ergo nulla involvit essentialiter singularitatem, h. e. nulla est talis quæ essentialiter sit immultiplicabilis; quamvis faciat non nisi materialiter differre. Nego Conseq.

4. RATIO est ex Suar. D. 15. Met. S. 2. n. 22. In qualibet substantia immateriali individua & finita, concipit mens & individuum, quatenus concipit hanc numero entitatem, & rationem essentialem & specificam ejus, quæ non includit essentialiter hanc numero entitatem, nec positivam repugnantiam, ut communicari possit alteri individuo.

RESPONDETUR. Hæc quæ assumit Suar. procedunt de speciebus talibus, quæ de facto dantur. Sed cur implicabit species, quæ comparata & spectata per ordinem ad individuationem, dicat repugnantiam ad plurificari? Unde in specie essentialiter individua, possemus partim prædicata secundum se, & postea prædicata per ordinem ad individuari: Prima nihil dicit de individuatione, dicent posteriora. Modus etiam arguendi non convincit; quia quando concipimus rationale, non concipimus risibile; neque tamen rationale, potest esse sine risibili; sic etiam quando concipimus speciem, de qua hic, non concipimus individuationem; neque tamen inde sequetur, posse jam esse hanc speciem sine hac, sed sub alia individuatione.

5. RATIO ejusdem est. Quod divina natura essentialiter individua sit, provenit ex eo,

quod infinitati ejus repugnet multiplicatio; omnis autem substantia immaterialis creata, finita est.

RESPONDETUR. De facto in Deo infinitas exigit immultiplicabilitatem ex vi nexus, quem prædicata divina d'cunt inter se, sed non ex ratione aliqua propria, eò quod non implicet creaturam finitam idem exigere; ad eum modum quo Deus ex vi suæ infinitatis essendi, exigit esse intellectivus, & tamen etiam finita creatura, potest esse intellectiva.

INSTAT aliquis, omni creaturæ ut creaturæ connaturale est multiplicari individualiter; quia soli Deitati ut Deitas est, id non connaturale.

RESPONDETUR. Hoc ipsum probandum fuisse.

6. RATIO est. Quia videtur absurdum, quod si Deus voluisset annihilare omnes demones in pœnam peccati, quod inquam non potuisset illis similes, alios producere.

RESPONDETUR. Non esse hoc absurdum, nec implicare, sufficereque quod Deus iteratò eodem posset reproducere.

7. RATIO Auctoritas S. Thomæ.

Sed ille negat multiplicari posse Angelos multiplicatione univoca, h. e. ab individuo ejusdem speciei, qualis est multiplicatio unius corporei ab alio; sed non negat multiplicationem ab æquivoco, h. e. Deo.

Ex his INFERES neutram partem positivè demonstrari: Probabilius tamen esse, quod impossibilis sit talis creatura, quia ex una parte possibilitas illius positivè non suadet, ex alia parte sensus est Doctorum in Oppositum. Deinde si nihil impediatur, debemus concedere Deo soli & uni sicut perfectissimam essentiam, ita & perfectissimam individuationem: Sicut illi etiam in genere noscendi tribuimus aliquid specialissimum, & quod alteri communicari non possit, nempe comprehensionem sui; cur ergo soli illi, hanc quæ perfectissima est, essentialem scil. individuationem, non tribuamus?

DIFFICULTAS II.

An de facto distinguantur Angeli non nisi specie?

DIVISI sunt auctores. Aliqui censent illos distingui solo numero, ut Arriaga D. 4. n. 14. alii non nisi specie, ut Granadus cum Thomistis; alii partim numero, partim specie ut Martinon.

DICENDUM est I. Dubium esse An Angeli sint omnes distincti specie.

PROBATUR I. Quia ita docet Augustinus L. 1. cont. Origenistas & Enchiridii c. 58. Ubi dum dixisset, nos de nominibus Angelorum scire, subdit, *ignorari autem à nobis, qualis sit personarum*